

Blasius of Parma, *Quaestiones de anima* (Vat.Chig.O.IV.41)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 1, quaestio 6 (fol. 119rb)

Consequenter quaeritur sexto, utrum cognitio unius rei possit causare cognitionem alterius rei?

Arguitur

quod non, primum a secundum, quia si sic, peruertat(?) tunc omnis certitudo. Patet consequentia, quia postquam cognitio de lapis efficit cognitionem de asino, tunc in uidendo lapis putabo me uidere asinum.

Secundum argumentum: si quaestio staret, tunc non possit haberi medium ad probandum hanc esse falsam 'omnia sunt unum', et² sic staret opinio praemeditanda qui sic dicit. Et patet consequentia, quia non ualet talis forma arguendo 'ego intelligo asinum, igitur asinus est postquam cognitione qua cognosco me efficit cognitionem de asino qua intelligo asinum', et sic de aliis.

Tertium argumentum: si questio foret uera hoc ideo est, quia aliquid unam rem esse sequeretur aliam rem esse. Et tenet illa consequentia, quia una cognitio numquam causaret aliam cognitionem,³ nisi illae cognitiones haberent inuicem connexionem, ut unum conuertibile omni alio uel inferius cum suo superiori. Sed antecedens patet, quia talis consequentia qua argueretur ab unam rem⁴ esse ad aliam esse non potest nunquam vigorari,⁵ eo

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747.

The transcription may be cited as follows:

Blasius of Parma, *Quaestiones de anima* lib. 1, q. 6, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² *scripsit sed del.* sic

³ *scripsit sed del.* nisi

⁴ *scripsit sed del.* ad

⁵ *vel uigorati*

quod semper oppositum consequentis stabit cum antecedentis.

Quartum argumentum:

si cognitio unius rei causaret etc., hoc maxime esset propter apparere. Patet illa consequentia, quia non dicimus cognitionem lapis causare cognitionem asini, et hoc propter nullam esse apparentiam inter lapis et asinum, sed bene cognitionem de Socrates dicimus causare cognitionem de Platone, et hoc propter ipsos esse multi similes.

Sed probatur, quod propter apparere quaestio non habeat locum, et sic primum a secundum, omne quod apparet est illud quod apparet, igitur cognitio unius rei non efficit cognitionem alterius. Consequentia patet intelligenti, sed antecedens probatur sic, omne quod apparet est apparens, igitur omne quod apparet est illud quod apparet. Patet consequentia, quia hii termini conuertimur 'apparens' et 'illud quod apparet'. Unde grammatica concedit, quod semper participium est resolubile in uerbum et secundum relatiuum, et ideo patet consequentia proposita.

Sed forte tu diceres, quod licet hoc omne quod apparet sit illud quod apparet, non tamen omne quod apparet est tale quale apparet, <fol. 119va>

nec tantum nec ubi apparet. Sed probatur, quod omne quod apparet sit tale tantum et ubi quale quantum et ubi apparet, et primo diuisim, deinde coniunctim. Diuisim sit, quia hoc forma ualet 'hoc apparet et hoc est album, igitur album apparet', sic hoc forma ualet 'hoc apparet, hoc est pedale, igitur pedale apparet'. Similiter hoc ualet 'hoc apparet, hoc est in A loco, igitur in A loco apparet'. Coniunctim sit 'hoc apparet, hoc est album pedale in A loco, igitur album pedalem in A loco apparet'.

Praeterea, si propter apparere quaestio habeat ueritatem, hoc ideo est, quia cognitio de auricalco causaret cognitionem de auro.

Sed contra, quia non est possibile auricalcum apparere aurum, igitur cognitio de auricalco non potest efficere cognitionem de auro. Probatur antecedens, quia non minus auricalcum apparet aurum quam si nullum aurum formam ponamus, igitur quod nullum aurum sit, et arguitur sic, auricalcum apparet aurum, et non apparet aurum quod est, igitur apparet aurum quod non est, igitur ens apparet non ens, quod implicat. Confirmatur, quia forte tu diceres, non esse concedendum, quod auricalcum appareret aurum et nullum aurum est ponatur, igitur aurum esse et sic omne aurum, quod est A, B, C in conspectu tuo distinctus et distinguas bene unum ab altero. Super⁶ in conspectu tuo sit E auricalcum, et uideas bene E distinctum ab omni auro, tunc sic E auricalcum non apparet A aurum, nec apparet B aurum, nec C aurum, et non est aliud aurum quam aliquod illorum, ergo E auricalcum non apparet aurum, alias constat quo ad

⁶ *vel* similiter

omnes partes postquam tu⁷ distinguis E ab A,
et ab B, et ab C.

Item, si pro tunc apparere quaestio haberet
locum, tunc possibile formam falsum apparere ueri, dicit enim
Aristoteles, *VIII Topicorum*, quod propter apparentiam aliqua falsa sunt quibusdam
ueris, probatur(?) ab inferiora(?). Sed respondeo(?), quod non contingit⁸ propositionem
falsam apparere esse ueram, quia si non sit⁹ A una
propositio falsa quae appareat uera, omne sic A propositio falsa apparet esse
uera, igitur apparet sic ex suis terminis uel per connexionem
ipsius ad aliam propositionem. Si datur(?) quod apparet uera ex suis
terminis, tunc illa propositio causabit errorem in intellectu incorrigibilem
postquam apparet, sic ex suis terminis. Si uero per
connexionem ipsius ad aliam propositionem, quaeratur de illa propositione
uel ipsa est uera uel falsa. Non potest dici, quod uera, quia ex
ueris numquam sequitur falsum nec error. Si dicit quod falsa, procedatur
ut prius, et quaeratur uel illa propositio falsa apparet esse
uera ex suis terminis uel propter connexionem ipsius ad
aliam, et non est dicendum, quod¹⁰ ex suis terminis propter primum
inconueniens, nec propter connexionem, quia procedere in infinitum.
<fol. 119vb>

Concluderetur igitur quod non contingit¹¹ aliquam propositionem falsam
apparere ueram.

Item, si quaestio haberet locum propter <etc.>,
sequitur quod tu scires aliquam propositionem et non appareret tibi ita
esse sicut ipsa significat. Haec autem non stant simul, immo
repugnant, quia si scio aliquam propositionem, scio
ita esse sicut ipsa significat, et si scio ita esse,
apparet mihi ita esse. Sed probatur consequentia, quia sit¹² A unum
corpus maius C, et hoc scias. Uolo cum hoc quod
A sit maius B ex causa(?) in sensibili, et ideo credas
A esse aequale B. Similiter sit B maius C
ex causa(?) in sensibili, ita quod tu putas B et C
esse aequalia. Tunc arguitur sic, A est aequale B,
et B est aequale C, igitur A est aequale C. Illa consequentia
est bona et scis eam esse bonam et credis antecedens, quia
credis primam partem antecedentis et secundam. Igitur tu credis
consequens, et ideo credis A esse aequale C, et ex causa(?)
tu scis A esse maius ipso C, et sic
tu scis ita esse sicut aliqua propositio significat, et
pro tunc apparet tibi oppositum huius.

Aliud argumentum, nulla

⁷ scripsit sed del. di

⁸ vel conuenit

⁹ vel sic

¹⁰ scripsit sed del. propter

¹¹ vel conuenit

¹² vel sic

cognitio potest aliam causare, igitur etc. Antecedens probatur, quia si non staret antecedens non oporteret ponere obiectum causatum(?) suae cognitionis postquam una cognito efficeret aliam. Immo patet dici et melius, quod nec cognitio agit cognitionem, nec obiectum agit cognitionem, sed intellectus agens est ille, quia causat cognitionem de rebus. Et ideo dicimus, quod intellectus componit et diuidit et distinguit, nec haberemus dicere quod antecedens numquam inferat consequens, sed intellectus est ille qui infert, nec est dicendum, quod hoc uerbum est sic nota eorum quae de altero praedicantur, sed intellectus est ille qui copulat praedicatum cum subiecto.

Aliud

argumentum, si etc. hoc est, quia accidentia conferunt ad cognoscendum substantiam, ut dicit Aristoteles, *in hoc* prologo.

Sed contra hoc arguitur sic, ad accidens esse non sequitur substantiam esse, igitur etc. Patet antecedens, quia in altarum per uerba sacramentalia datur albedo sine subiecto et grauitas, et nihil est est (sic) ibi graue, et ideo ad accidens esse non sequitur substantiam esse.

Undecimum

argumentum, item si accidentia conferunt etc. tunc demonstratio circularis haberet locum in proposito. Probatur consequentia, quia per aduersarium accidentia ducunt nos in cognitionem substantiae, et etiam substantiae ducunt nobis in cognitionem accidentium. Et illud secundum non potest negari, <fol. 120ra> quia substantia est cum suorum accidentium, modo per causam cognoscimus effectum. Et sic sequitur, quod demonstratio circularis habebit locum.

Ultimum argumentum sequeretur, quod notius notificaretur per minus notum, et prius per posterius. Tenet consequentia per hoc quia ut scribit, *VII Metaphysicae*, ad textum, substantia est nobilior accidentiae natura, tempore et definitione.

In oppositum est Aristoteles *in hoc* prologo, ubi dicebat accidentia enim multam(?) conferunt etc., et *III Physicorum*, ubi dicebat ignorato motu necesse est ignorari naturam.

In hac quaestione,

primo proponam unam conclusionem Aristoteles ex qua inferam determinationem quaestionis. Pro secunda partis quaestionis speculabor diuersos modos probandi conclusionem Aristoteles. Pro tertia partis eligam modum mihi magis contrarium(?). Pro quarta partis soluam ad rationem in contrarium.

Quantum ad primum, sciendum quod illa quaestio principaliter mota est, ut habeatur sanus infrascriptus(?) huius textus, scilicet 'accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est', sic igitur ista conclusio 'accidentia causant uel causare possunt cognitionem de substantiis'. Hoc est conclusio Aristoteles ad litteram cuius probationem pro nunc teneo sub silentio.

Secunda conclusio: cognitio unius rei potest causare cognitionem alterius rei. Quae conclusio respondet de quaesito. Illa conclusio sequitur ex praecedente, et hoc de primo articulo.

Quantum ad secundum, in quo restat ponere plures modos quibus probatur conclusio Aristoteles proposita in hac forma 'accidentia conferunt etc.' accedo, et quantum ad hoc est primo unus modus probabilis, qui per conclusiones explicatur infrascriptas.

Prima conclusio: nihil cognoscitur cuius definitio ignoratur. Patet, quia definitio explicat essentiam definiti, et hoc non explicatur per definitum nisi confuso modo.

Secunda conclusio: nulla definitio scitur cuius partes non intelliguntur. Patet, quia definitio est quoddam totum, modo cognitio totius dependet a cognitione suarum partium, *I Physicorum*.

Tertia conclusio: omnis definitio est ex uno uel pluribus terminis generationis(?) constituta. Patet, quia in omni definitione ponere differentiae, modo differentia semper praedicatur in quale.

Quarta et ultima conclusio: accidentia causabant cognitionem substantiae. Probatur, omnis substantia cognoscitur per eius definitionem et non aliter. Hoc patet per primam conclusionem. Et definitio cognoscitur per eius partes et non aliter. Patet per secundam conclusionem. Et partes definitionis sunt accidentia. Igitur, per accidentia cognoscuntur substantiae, quod fuit probandum. Nota quod hic capitur accidens pro omni termino, qui non est de praedicamento substantiae.

Et licet iste modus sit probabilis, arguitur tamen contra. Et hoc sic, nullum accidens cognoscitur nec est cognoscibile, quare accidentia non conferunt¹³ ad cognitionem substantiae. Probatur antecedens, quia nihil cognoscitur cuius definitio non intelligitur, modo definitio accidens non cognoscitur, quia accidentis non est definitio.

¹³ scripsit sed del. ad g

Est alius modus declarandi
textum Aristoteles, qui per infrascriptas conclusiones explicatur.

Prima conclusio: quicquid est, est substantia uel accidens. Ista est nota
ex suis terminis.

Secunda conclusio: quod aliqua substantia sit composita
ex materia et forma non potest euidenter ostendi. Patet illa conclusio, quia
ab omni contradictor defendi potest, quod homo non est nisi sua
materia, et quod extraneum est imaginari in homine esse duas diuersas
substantias quarum una informat alteram. Hoc autem
uidetur esse pure uoluntarium(?) dictum.

Tertia conclusio: nulla
substantia est per eius formam substantialem cognoscibilis. Patet conclusio
ex praecedente, quia, ut dicebatur, uertitur in dubium cuilibet scientifico
an talis forma sit ponenda distincta
contra materiam rerum.

Quarta conclusio: quod aliqua duo adinuicem specificae
debebat(?) per eorum formas substantiales non potest nobis
euidenter patere. Patet illa conclusio, quia quantum omni, quia ponam asinum
componi ex materia et forma, et leonem componi ex materia
et forma, non habeo aliquod medium nec habere possum per
quod possit concludi asinum specificè differre a leone.

Alia conclusio: quaecumque cognoscuntur, per eorum operationes
cognoscuntur. Patet primo Aristoteles sic dicente, dicit enim saepe
sic, potentiae cognoscuntur per actus, id est, per operationes primo
et secundo huius.

Ultima conclusio: accidentia conferunt ad cognitionem
substantiae. Patet illa conclusio, quia cum substantiae cognoscantur,
et non cognoscantur per eorum formas substantiales, ut dicit,
immo solum per operationes, ut dicit una conclusio, et semper¹⁴ operationes
sunt accidentia, quae operationes sunt moueri, quiescere, ratiocinari,
uidere, ambulare huiusmodi. Et sic apparet conclusio.

Et licet et
iste modus sit probabilis, arguitur tamen contra. Et hic sic,
idem potest efficere contrarios effectus, ut scribit, *II Physicorum*
ad litteram. Unde idem nauta potest conseruare nauim
et submergere ipsam, hoc est exemplum eius. Ergo, idem inde
transmutabitur de una specie in alteram, et iterum fieret
reparato in eadem speciem.

Est alius modus exponendi
textum praescriptum Aristoteles, et illa opinio fatetur nihil esse

¹⁴ *uel optime/supra*

praeter substantiam. Unde dicit, quod nulla ratio cogit nos ad ponendum accidentia. Et si tamen uulgus communiter admittat accidentia esse, hoc hunc a sacerdotibus uolentibus, quod ultra substantias ponantur qualitates necessario, ut contingit¹⁵ in sacramento altaris.

Et quia sic dicunt et nihil probant(?), prosequor istum modum.

Unde dicit secundo illa opinio, quod omnis substantia <fol. 120va> est actiua. Et hoc est secunda conclusio istius opinionis. Ista patet, quia omnis substantia habet operationem sibi propriam, modo omnis operatio uidetur esse actio agentis.

Tertia conclusio: accidentia conferant ad cognitionem substantiae, et per accidentia intelligantur operationes, quae operationes sunt bene substantiae. Sed appellantur ab Aristotele accidentia, quia importantur per terminos, qui non sunt de praedicamento substantiae. Et hoc opinio bene concedit infra scriptas propositiones 'albedo est', 'scientia est', 'motus est' etc., sed dicit quod albedo non est accidens, immo albedo est esse album, et scientia est anima sciens, motus est mobile moueri, sicut figura est res figurata uel rem esse figuratam. Et dicit insuper, quod in uidendo aliquod obiectum non causatur aliquid ab obiecto in anima. Item, dicit quod nec color est in subiecto, nec scientia est in anima, sed loco illius propositionis 'scientia est in anima' habemus intelligere illam anima scit.

Et dico, quod ille modus materiae(?) posset improbari.

Est alius modus et probabilis, qui per infrascriptas conclusiones declaratur.

Prima conclusio: quilibet effectus habet similitudinem suae causae. Illam conclusionem scribit commentator Eustachius(?), *I Ethicorum*, dicens, quod quilibet effectus est participata similitudo suae causae, et in se gerit uicem et similitudinem suae causae.

Secunda conclusio: accidentia causant et causare possunt cognitionem de substantiis. Patet, quia super accidentia sunt effectus suorum subiectorum, modo per conclusionem praecedentem quilibet effectus in se gerit similitudinem suae causae, et ergo patet repraesentare suam causam, quae est substantia.

Et haec opinio inferet corollaria. Primum est: quaelibet res naturalis ualet causare in nobis cognitionem primae causae.

¹⁵ uel conuenit

Patet, quia quaelibet res naturalis est effectus ipsius primae causae, scilicet Dei.

Secundum corollarium: hoc consequentia ualet 'tu scribis, igitur prima causa est', patet ex dictis.

Et licet ille modus sit probabilis, arguitur contra sic, quia nisi eadem qualitas maneret in generato quae fuit¹⁶ in corrupto hoc opinio non staret. Quod patet, quia cum figura, color et dispositio membrorum asinii causant cognitionem asini, et haec omnia stant ipso interfecto, ipsa non repraesentabant¹⁷ asinum. Et si repraesentabant¹⁸ asinum, causabant¹⁹ errorem in intellectu humano incontigissem(?). Sed quod eadem²⁰ qualitas maneat in generatio quae fuit²¹ etc. in praesenti praesuppono.

Contra illa corollaria insimul arguitur, quia si illud consequentia ualeret 'tu scribis, igitur prima causa est', sequeretur quod illa causalis est admittenda 'quia tu scribis, prima causa est'. Sed, ut constat, intelligenti illa causalis est impossibilis, et ista consequentia tenet pro tanto(?), quia quaelibet consequentia bona potest inferre unam causalem.

<fol. 120vb>

Unde sequitur 'si tu curris, tu moueris, igitur quia tu curras, tu moueris'.

Alius modus est qui per infrascriptas conclusiones declaratur.

Prima conclusio: nulla uirtus exterior, ut uisus etc. adpraehendit substantiam sine accidente. Unde per uisum bene adpraehendo album figuratum, et sic de aliis. Hoc est quod dicit Commentator, *II huius*, nullus sensus cognoscit substantias rerum.

Secunda conclusio: intellectus prima et simpliciter adprehensione non adpraehendit substantiam sine accidente. Declaratur, quia intellectus non mouetur ad intelligendum nisi moueatur a sensu, et sensus non adpraehendit substantiam sine accidente, ut supra dictum est. Cum igitur intellectus prima et simplici eius adprehensione non adpraehendat nisi secundum quod²² sibi per sensum praesentatur, sequitur conclusio. Et notanter dico prima et simplici adprehensione, quia per discursum

¹⁶ *vel fit*

¹⁷ *vel repraesentabunt*

¹⁸ *vel repraesentabunt*

¹⁹ *vel causabunt*

²⁰ *scripsit sed del. q*

²¹ *vel fit*

²² *scripsit sed del. ??*

intellectus potest adpraehendere manifesta, quae numquam cognita fuerunt per sensum.

Ex illa conclusione sequitur unam consequentiam in hac forma, semper intellectus in eius prima et simplici adprehensione adpraehendit rem singulariter et numquam uniuersalem. Et quantum ad hoc potest dici, quod intellectus est singularium et non uniuersalium. Patet consequentiam, quia intellectus prima eius apprehensione adprehendit substantiam cum colorato(?) figura et huiusmodi conditionibus indiuidualibus.

Tertia conclusio: in homine concluditur esse una uirtus, quae dicitur abstractiua, quae uirtus est ipsi intellectus. Unde est imaginandum, quod cum intellectui fuerit praesentata species albi, tunc per illam speciem intellectus adpraehendit in confuso substantiam et albedinem, et tunc intellectus uigore sui luminis format unam conceptum simplicem et absolutum per quam adprehendit omnem substantiam sine dicta²³ temporis, et non magis substantiam praesentem quam praeteritam. Et ideo dicitur, quod nomen significat sine tempore, et consequenter format intellectus unum alium conceptum simplices, qui sibi repraesentat omnem albedinem sine tempore. Et in hac operatione uisum est antiquis, quod intellectus abstrahat unam intentionem ab alia, ideo dixerunt antiqui in nobis esse uirtutem abstractiuam.

Ultima conclusio: accidentia habent causare cognitionem substantiae. Patet, quia ex dictis intellectus non adpraehendit substantiam quin prius adprehendat in confuso substantiam et accidens.

Ex tertia conclusione secuntur duo corollaria.

Primum est, intellectus debet dici uniuersalium. Patet, postquam ex suo lumine format in se conceptum repraesentatiuam cuiuslibet entis indifferenter et sine tempore.

Secundum corollarium: aliqua est causata a sensitiua de praesenti necessaria significans homines esse asinum et me esse te.

<fol. 121ra>

Patet, quia cum intellectus format in se hanc propositionem 'homo est animal' clarum est, quod ille conceptus a quo sumitur ille terminus 'homo' in uoce repraesentat quemlibet hominem. Et alter conceptus a quo sumatur in uoce ille terminus 'animalis' significat omne animalis, et per consequens significat asinum. Ergo illa propositio immediate²⁴ significat hominem esse asinum. Et significat etiam me esse

²³ *vel* distincta

²⁴ *vel* in mente

te postquam subiectum eius significat omnem hominem. Et licet hoc opinio sit multum probabilis et forte uera, eam tamen ex toto non assentio, ut infra apparebit.

Et hoc de secundo articulo quaestionis.

Quantum²⁵ ad tertiam articulum pono conclusiones.

Prima est: omnis intellectualis cognitio deducta est ex sensatis. Patet, quia alioquin deficiente sensu a natiuitate non oporteret scientiam illius deficere.

Secunda conclusio: nullus sensus exterior adpraehendit substantiam sine accidente. Ista patet inductive. Unde nisi corpus est odoriferum non adprehenderetur a potentia odoratiua, et idem dico de uisibili et de aliis. Quae tamen conclusio non habet per se euidentem rationem tamen omnes philosophi eam admittunt.

Tertia conclusio: in nobis concluditur esse una uirtus illatiua. Probatur, quia omni intellectu adprehendit album uigorem sine luminis(?)²⁶ format in se conceptum de albedine incomplexum et postea conceptum complexum, ut quod albedo est et apprehendit albedinem per modum adiacentis(?) alteri, et deinde per modum consequentiae²⁷ format²⁸ conceptum complexum de substantia, ut quod substantia est tibi adhaeret(?) albedo. Et per consequens in nobis concluditur una uirtus illatiua, quod fuit probandum.

Et tunc inferantur duo corollaria.²⁹

Primum: non contingit³⁰ intellectum prima et simplici eius adprehensione adpraehendere substantiam. Patet corollarium,³¹ postquam substantia non adprehenditur nisi per modum consequentiae.³² Est enim consequentia complexorum et non incomplexorum.

Secundum corollarium:³³ nulla bruta possunt in cognitionem substantiae deuenire. Patet, quia nulla bruta syllogizant. Est enim syllogismus actus ipsius rationis et intellectus. Ideo dicit Aristoteles circa finem³⁴ libri *De memoria*

²⁵ scripsit sed del. quantum

²⁶ vel singularibus/substantias

²⁷ vel commune/confuse

²⁸ scripsit sed del. mo

²⁹ vel contraria

³⁰ vel conuenit

³¹ vel contrarium

³² vel commune/confuse

³³ vel contrarium

³⁴ vel sententiae

et reminiscencia, quod bruta non reminiscuntur.

Quarta

conclusio: nullum accidens se solo potest in nobis causare cognitionem de substantia. Patet, quia omnis cognitio intellectualis in infinitum excedit quodlibet accidens materiale quare etc. Consequentia tenet, quia non contingit³⁵ aliquod agens producere contrarium perfectionis quam³⁶ non debet.

Quinta conclusio: nullum accidens mediante Deo nec Deus mediante accidente potest se solo in nobis causare cognitionem de substantia. Conclusio sic probatur, quia stante obiecto arguatur(?) sic, aliquod accidens mediante Deo uel Deus mediante accidente causat cognitionem in anima de substantia, ergo anima cognoscat, et ultra ergo anima agit, ergo accidens non causabat illam cognitionem mediante Deo solo <fol. 121rb> nec Deus mediante accidente solo postquam³⁷ anima active concurrat.

Ultima conclusio: intellectus suo lumine mediante accidente potest efficere cognitionem de substantia. Et hoc uoluit Aristoteles dum dicebat 'accidentia conferunt magnam partem etc.'. Et notanter dixit 'conferunt', et non dixit 'quod causat', quia aliud est conferre ad cognitionem de de substantia, et aliud est causare illam cognitionem.

Sed forte contra illam conclusionem dices sic, posito accidente et cognito cognoscitur substantia, et non posito nec cognito non cognoscitur substantia, igitur accidens uidetur causare illam cognitionem de substantia.

Dico tibi hic negando illam formam, unde non sequitur 'hoc posito, posita³⁸ illud, et hoc non posito, non posita³⁹ illud, igitur hoc est causa illius'. Patet, quod illa forma non ualet, quia eleuatis palpebris oculus uidet, et palpebris clausis tollitur uisio, igitur⁴⁰ palpebrae sunt causa uisionis, argumentum non ualet.

Pro duobus corollariis⁴¹ inferendis circa propositum ponatur illa conclusio 'nulla sensatione cognoscuntur futura'. Probatur, nulla sentimus nisi sensibus exterioribus, quibus sola praesentia sentimus, aut sensibus

³⁵ *vel* conuenit

³⁶ *vel* quem

³⁷ *scripsit sed del.* beatus

³⁸ *vel* pono

³⁹ *vel* pono

⁴⁰ *scripsit sed del.* pal

⁴¹ *vel* contrariis

interioribus quibus sentimus solum, quae nunc uel alias fuerunt sensata. Ergo, conclusio uera.

Sed contra illam conclusionem arguunt aliqui doctores⁴² sic, formica colligit grana pro sequenti yeme et aranea facit telam pro muscis capiendis, modo illae cognitiones sunt respectu futuri et de futuris, ergo etc.

Respondetur, quod hoc non est ex cognitione futuri, sed ex instinctu naturae, quod patet, quia formica nunc genita idem facit.

Corollarium primum: nulla bruta ex deliberatione prosecuntur uel fugiunt. Patet, quia non uidetur quare non rationabilia⁴³ dicantur⁴⁴ postquam haberent praeterea(?) de elegendis et respuendis, fugiendis et prosequendis.

Aliud corollarium: bruta non cognoscunt amicitiam nec inimicitiam, nec ex sensatis eliciunt in sensata. Patet hoc, quia ista non fiunt sine discursu illatiua(?) uel consequenter rationali. Bruta autem non hunc talem discursum.

Ex hiis omnibus patet quale est respondendum ad rationes in contrarium.

⁴² *scripsit sed del. sic*

⁴³ *scripsit sed del. dne*

⁴⁴ *vel darentur/dicentur*